



27th Latin Summer School
January 18 to January 22 2021

Class 4 vi

Tutor:

Susan Ford

Expert knowledge is back in fashion:

Pliny the Elder and Scribonius Largus on plants and medicine

Scribonius Largus¹ (c1AD – after AD48) was a pharmacist cum pharmacologist, who wrote a fascinating short work *Compositiones* which is extant almost complete (though, mysteriously, not much read). The *Compositiones* is a collection of drug recipes or prescriptions for the cure of ailments ranging from coughs, colds, and headache to toothache, snakebite, and gladiators' wounds.

The American Botanical Council has helpful definitions of the 'ph' words which cluster around the practice of medicine:

practice of medicine	physicians
dispensing of medicines	pharmacy
materia medica	pharmacology
identification of medicinal plants	botany

Pharmacognosy is a word for the general discipline which combines pharmacy, pharmacology and the botany of medicinal plants.

Largus sits somewhere between pharmacy and pharmacology. He was, it seems fair to deduce, a practising doctor who had to earn a living from his skills (unlike Celsus and Pliny the Elder). He says (see Tuesday's text) that he accompanied the emperor Claudius to Britain in AD43. It is sometimes proposed, from the same passage, that he was a native of Sicily. The approximate dates of his life are deduced from the date of publication of the *Compositiones* is dedicated to the powerful freedman Callistus which dates it to before AD48 when Callistus fell from grace on Messalina's death.

Roman medical practitioners inherited from the Greeks a science which was mature by 400BC (the end date of most of the material in the extant Greek texts known as the Hippocratic corpus). Greek theorists, including Hippocrates (5th century BC) and Asclepiades (c110–c55BC) had developed a tripartite division to guide treatment – diet, drugs, surgery – to be applied as needed in that order.

The foremost Latin medical writer whose work is extant is Celsus, contemporary with Largus (who cites Celsus several times). Celsus' Preface to *De Medicina* (originally part of a much larger technical encyclopedia covering many subjects) shows that Roman writers were quite conscious not only of their Greek inheritance but Roman innovations as well:

And in Rome too there have been professional experts in surgery of no middling quality and in recent times especially Tryphon the father, Euelpistus, and Mege - the most learned among them as can be understood from his writings - have added no insignificant amount to this discipline by changing certain things for the better.
(trans. von Staden)

And not only is this point of Celsus' well made concerning Roman practical innovations, recent scholarship is beginning to point to the intellectual and creative work involved in selecting, sorting, and analysing of Greek medical texts by Roman writers – work which 'provided a decisive impetus to Rome's cultural and intellectual

¹ Beware that he may appear in indexes of modern works under either 'S' or 'L'.

flourishing' (Mair 2014). But the import of Greek medical ideas to Rome was 'not free of tensions and disputes (witness Cato and Pliny)' (Sconocchia in Maire 2014): Pliny blasts doctors in the opening of Book 29 of the *Historia Naturalis* (medical use of animal products) at the same time as he, rightly, borrows extensively from them.

An important aspect of the *Compositiones*, at least for us as historical readers, is that unlike the Greek writer Dioscorides' manual of pharmacology – again almost contemporary with Largus – is that it describes multi-ingredient drugs whereas Dioscorides was concerned with 'simples', i.e. one-ingredient drugs.

And the *Compositiones* should have found a niche for another reason – it was the first medical textbook in Latin – but in fact it seems never to have had a wide circulation and surviving MSS are few.

If the *Compositiones* was published before AD48, and if it was 'published' in Rome rather than Britain, then the voracious fact-collector Pliny should have been able to see a copy. He does not refer to it, but Baldwin suggests that some suspiciously parallel passages mean that perhaps Pliny did see the *Compositiones*.

In any case Pliny had no lack of Greek medical and botanical writing to hand to help him assemble the central books of the *Historia Naturalis*, books 23 to 32. We will read some passages from books 22, 24, and 25 chosen because they expand or complement the points made by Largus.

Reading the texts

Unfortunately a small dictionary will not help much with Largus or Pliny's vocabulary for this course, because they are not read in schools or universities (why not?) but the online Perseus Lewis & Short [will](#), and remember that it's an 1879 dictionary so words now spelled with initial 'i' are often found under 'j', and be creative about alternative spellings (think about vowel transcription changes) before you decide a word is not in L&S.

Meeting for an online course, we may read more words than we would when meeting in person, or we may read fewer. The amount we read is up for discussion.

Technical language

Some passages with drug recipes look very difficult but when unpacked are trivially easy. For example, the last page of Friday's text, the recipe for mithridation, begins:

→ *acori* ℞ p. II, *phu* ℞ p. I, *sagapeni* ℞ p. II, *iris Illyricae* ℞ p. II, . . .
2 drachms of sweet flag, 1 drachm of valerian, 2 drachms of juice of umbelliferous plant, 2 drachms of Illyrian iris, . . .

Largus used the **apothecaries' system**, the oldest system of measures, common for small amounts by volume or weight. It continued well into the 20th century.

In the **apothecaries' system**:

℞ is the unit of measure, standing for denarius = drachma (from Greek)
Hence it is preceded by a **genitive of measure** 'acori', 'phu'
(indeclinable), 'sagapeni', etc.
p. = *partes* (always written after the unit of measurement in this system)
II = 2

So, *acori* X *p. II*
 —> *acori* X *partes II*
 —> 2 drachms of sweet flag

A denarius / drachma as a weight unit = 3.89g (approx.)

Susan Ford / seford0@gmail.com
October 2020



Valerian



Illyrian iris

Short bibliography

Barry Baldwin, 'The career and work of Scribonius Largus', *RhM* 135 (1992): 74–82.
no original research, but a lively essay which will get you familiar with what
Largus is on about.

Maud Grieve, *A modern herbal : the medicinal, culinary, cosmetic and economic
properties, cultivation and folk-lore of herbs, grasses, fungi, shrubs & trees with all
their modern scientific uses.* London Jonathan Cape. 1931. This is now complete
online at <https://www.botanical.com/botanical/mgmh/mgmh.html> so I hope we can
consult it during the course

Roderich König et al. *Naturkunde: Lateinisch-deutsch. Pliny, the Elder.* München:
Heimeran. The very important 'Tusculum edition' of HN, being the product of the
Pliny translation group which paired scientists and Latinists to do the translation.
There is only one copy in the whole country as far as I can work out.

C. Mayhoff, *C. Plini Secundi Naturalis historiae libri XXXVII*, 6 vols, Munich,
Teubner, 1892–1909. This is the text in Perseus and LacusCurtius
(https://penelope.uchicago.edu/Thayer/E/Roman/Texts/Pliny_the_Elder/home.html
) and the one used here.

Vivian Nutton, *Ancient Medicine*, 2nd edn., Oxford, 2013.

Sergio Sconocchia, *Scribonius Largus Compositiones*, Teubner, 1983.

the modern critical edition. Not open access but happily Sconocchia's text is at
<https://latin.packhum.org/> and I have used it ---> NB must tick the small 'show all
authors' box in top right of the browse authors screen in order to see the
Compositiones

Monday

Scribonius' Preface to the *Compositiones* includes a very important statement of Hippocratic principles concerning the relationship of doctor to patient, and his own approach to use of drugs.

SCRIBONIVS LARGVS CALLISTO SVO SALVTEM

Inter maximos quondam habitus medicos Herophilus, Cai Iuli Calliste, fertur dixisse medicamenta divum manus esse, et non sine ratione, ut mea fert opinio: prorsus enim quod tactus divinus efficere potest, id praestant medicamenta usu experientiaque probata. animadvertimus itaque saepe inter deliberationes contentionesque medicorum auctoritate praecellentium, dum quaereretur, quidnam faciendum aut qua ratione succurrendum sit aegro, quosdam humiles quidem et alioquin ignotos, usu vero peritiores, vel (quod fateri pudet) longe summos a disciplina medicinae ac ne adfines quidem eius professioni, medicamento efficaci dato protinus velut praesenti numine omni dolore periculoque liberasse aegrum. [ep2] quamobrem spernendi quidem sunt, qui medicinam spoliare temptant usu medicamentorum, non a medendo, sed a potentia effectuque medicamentorum ita appellatam, probandi autem, qui omni modo succurrere periclitantibus student. ego certe aliquotiens magnum scientiae consecutus sum titulum ex usu prospere datorum medicamentorum multosque ex eadem causa non mediocrem gloriam tulisse memini. est enim haec pars medicinae vel maxime necessaria, certe antiquissima et ob hoc primum celebrata atque inlustrata, siquidem verum est antiquos herbis ac radicibus earum corporis vitia curasse, quia timidum genus mortalium inter initia non facile se ferro ignique committebant. quod etiam nunc plerique faciunt, ne dicam omnes, et nisi magna compulsi necessitate speque ipsius salutis non patiuntur sibi fieri, quae sane vix sunt toleranda. [ep3] cur ergo aliqui excludant medicinam ex usu medicamentorum, non invenio, nisi ut detegant imprudentiam suam. sive enim nullum experimentum eius generis remediorum habent, merito accusandi sunt, quod tam neglegentes in tam necessaria parte artis fuerint, sive experti quidem sunt eorum utilitatem, denegant autem usum, magis culpandi sunt, quia crimine invidentiae flagrant, quod malum cum omnibus animantibus invisum esse debeat, tum praecipue medicis, in quibus nisi plenus misericordiae et humanitatis animus est secundum ipsius professionis voluntatem, omnibus diis et hominibus invisum esse debent. [ep4] idcirco ne hostibus quidem malum medicamentum dabit, qui sacramento medicinae legitime est obligatus (sed persequetur eos, cum res postulaverit, ut militans et civis bonus omni modo), quia medicina non fortuna neque personis homines aestimat, verum aequaliter omnibus implorantibus auxilia sua succursuram se pollicetur nullique umquam nocituram profitetur.

[ep5] Hippocrates, conditor nostrae professionis, initia disciplinae ab iure iurando tradidit, in quo sanctum est, ut ne praegnanti quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur aut demonstratur a quoquam medico, longe praeformans animos discentium ad humanitatem. qui enim nefas existimaverint spem dubiam hominis laedere, quanto scelestius perfecto iam nocere iudicabunt? magni ergo aestimavit nomen decusque medicinae conservare pio sanctoque animo quemque secundum

ipsius propositum se gerentem: scientia enim sanandi, non nocendi est medicina. quae nisi omni parte sua plene excubat in auxilia laborantium, non praestat quam pollicetur hominibus misericordiam. desinant ergo, qui [ep6] prodesse adflictis aut nolunt aut non possunt, alios quoque detertere negando aegris auxilia, quae per vim medicamentorum frequenter exhibentur. etenim quasi per gradus quosdam medicina laborantibus succurrit. nam primum cibus ratione aptoque tempore datis temptat prodesse languentibus; deinde, si ad hos non responderit curatio, ad medicamentorum decurrit vim: potentiora enim haec et efficaciora quam cibi. post, ubi ne ad haec quidem cedunt difficultates adversae valetudinis, tunc coacta ad sectionem vel ultimo ad ustionem devenit. at Asclepiades, maximus [ep7] auctor medicinae, negavit aegris danda medicamenta: quidam enim hoc mendacio etiam pro argumento utuntur. poteram tamen, si verum id esset, dicere: viderit Asclepiades, quid senserit; forsitan non omnino in hanc partem animum intendit. homo fuit, parum feliciter se in hoc negotio gessit. non deterreor persona, cum rem manifeste prodesse videam. nunc vero cum tam impudenter comminiscantur de eo, quid possum ultra dicere nisi genere quodam parricidium ac sacrilegium eos committere, qui haec dicunt? ille enim febricitantibus vitiisque praecipitibus correptis, [ep8] quae ὀξέα πάθη **Graeci** dicunt, negavit medicamenta danda, quia cibo vinoque apte interdum dato remediari tutius eos existimavit. ceterum in libro, qui Parascuasticon, id est praeparationum, inscribitur, contendit ultimae sortis esse medicum, qui non ad singula quaeque vitia binas ternasque compositiones et expertas et protinus paratas habeat. vides ergo, quam non placeat Asclepiadi usus medicamentorum, cui, nisi plura quis ad quodque genus vitii medicamenta composita habeat, non videtur dignus professione medicinae. [ep9] sed ista licentia nomine tantummodo medicorum propter quorundam negligentiam latius processit. raro enim aliquis, priusquam se suosque tradat medico, diligenter de eo iudicat, cum interim nemo ne imaginem quidem suam committat pingendam nisi probato prius artificio per quaedam experimenta atque ita electo, habeantque omnes pondera atque mensuras exactas, ne quid errorum in rebus non necessariis accidat: videlicet quia sunt quidam, qui pluris omnia quam se ipsos aestimant. itaque sublata est studendi cuique necessitas, et non solum antiquos auctores, per quos consummatur professio, quidam ignorant, sed etiam comminisci falsa de his audent. [ep10] ubi enim delectus non est personarum, sed eodem numero malus bonusque habetur, disciplinae ac sectae observatio perit, quodque sine labore potest contingere idemque dignitatis utilitatisque praestare videtur posse, unus quisque id magis sequitur. sic ut quisque volet, faciet medicinam. quosdam enim a perverso proposito nemo potest movere et sane omnibus permisit liberum arbitrium magnitudo professionis. multos itaque animadvertimus unius partis sanandi scientia medici plenum nomen consecutos. [ep11] Nos vero ab initio rectam viam secuti nihil prius in totius artis perceptione, qua homini permittitur, iudicavimus, quia ex hac omnia commoda nos consecuturos existimabamus, non medius fidius tam ducti pecuniae aut gloriae cupiditate quam ipsius artis scientia. magnum enim et supra hominis naturam duximus posse aliquem tueri et recuperare suam et unius cuiusque bonam valetudinem. itaque ut ceteris partibus disciplinae, ita huic quoque, quae per medicamenta virtutem suam exhibet, curiose institimus, eo magis quod percipiebamus in dies ex usu profectus eius, quos interdum supra fidem atque opinionem plurimorum exhibebamus. sed [ep12] quid ultra opus est probare necessarium usum esse medicamentorum, praecipue tibi, qui,

quia percepisti utilitatem eorum, idcirco a me compositiones quasdam petisti? ego autem memor humanitatis tuae candorisque animi tui, quem omnibus quidem hominibus plene, mihi autem etiam peculiariter praestas, non solum quas desiderasti, verum etiam si quas alias de expertis in praesenti habui, in hunc librum contuli. cupio enim medius fidius, qua possum, tuae in me tam perseveranti benevolentiae respondere adiutus omni tempore a te, praecipue vero istis diebus. [ep13] ut primum enim potuisti, non es passus cessare tuae erga me pietatis officium tradendo scripta mea Latina medicinalia deo nostro Caesari, quorum potestatem tibi feceram, ut ipse prior legeres simpliciterque indicares mihi, quid sentiret: plurimum enim iudicio tuo tribuo; tu porro candidissimo animo et erga me benevolentissimo diligentiam meam sub tanti nominis editione non verbis, sed re probasti periculumque non minus tu iudicii quam ego stili propter me adisti, quo tempore divinis manibus laudando consecrasti. fateor itaque libenter unicas me tibi gratias agere, [ep14] quod et prius quam rogaveris consummasti amicissimo affectu vota mea et quod contigit mihi favore plenissimo tuo maturiorem percipere studii huius mei fructum ac voluptatem. ignosces autem, si paucae visae tibi fuerint compositiones et non ad omnia vitia scriptae: sumus enim, ut scis, peregre nec sequitur nos nisi necessarius admodum numerus libellorum. postea tamen, si et tibi videbitur, ad singula quaeque vitia plures compositiones colligemus. oportet enim copiam quoque earum selectam haberi, quoniam revera quaedam quibusdam magis et non omnes omnibus conveniunt propter differentiam scilicet corporum. quarum initium a capite faciemus [ep15] (summum enim et quasi primum locum hoc obtinet) dantes operam, ut simplicia prima ponamus: interdum enim haec efficaciora sunt quam ex pluribus composita medicamenta. erit autem nota <X> denarii unius pro Graeca drachma: aequae enim in libra denarii octoginta quattuor apud nos sunt sicut drachmae apud Graecos incurrunt. primum ergo ad quae vitia compositiones exquisitae et aptae sint, subiecimus et numeris notavimus, quo facilius quod quaeretur inveniatur; deinde medicamentorum, quibus compositiones constant, nomina et pondera vitiiis subiunximus.



Sweet flag

Tuesday

Snake bite

Largus Compositiones

[163] Ut sis tutus, etiam si quando rus secesseris, ponam theriacarum compositiones, id est ad serpentum morsus atque ictus medicamenta. sed prius quae cognita habui remedia, ne cui serpentes noceant, dicam. habere ergo in cinctu oportet peucedanum vel cervi, cum captus est, in oculi angulo, qui est ad nares versus, quae inveniuntur sordes virosi odoris; has Siciliae venatores diligenter colligunt et habent in cinctu propter ante dictam causam. idem praestat et hierobotane et trifolium acutum, quod oxytriphylon Graeci appellant; nascitur et hoc Siciliae plurimum. nam in Italiae regionibus nusquam eam vidi herbam nisi in Lunae portu, cum Britanniam peteremus cum deo nostro Caesare, plurimum super circumdatos montes. est autem foliis et specie et numero similis communi trifolio, nisi quod huius pleniora sunt et quasi lanuginem quandam super se habent et in extrema parte velut aculeum eminentem. sed huius frutex dum pedum interdum aut etiam amplior conspicitur et odorem gravem emittit, quorum nihil circa pratense trifolium invenitur. sed utrasque superius dictas herbas [quas] cum inveneris, pridie notare oportet et circumscribere sinistra aure fruges aliquas ponentem, atque postero die solis ortu sinistra manu vellere, ita illigatas habere. [164] In Africa aut *sicubi* scorpiones sunt nocivi, stellionem aridum in cinctu oportet habere.

Pliny on the *peucedanum* – NH Book 25

[117] Sed inter prima celebratur peucedanum, laudatissima in Arcadia, mox Samothrace. caulis ei tenuis, longus, feniculo similis, iuxta terram foliosus, radice nigra, crassa, gravi odore, sucosa. gignitur in montibus opacis, foditur exitu autumnii. placent tenerrimae et altissimae radices. hae conciduntur in quaternos digitos osseis cultellis funduntque sucum in umbra, capite prius et naribus rosaceo perunctis, ne vertigo sentiatur.

[118] et alius sucus invenitur caulibus adhaerens; incisi quoque manant. probatur crassitudine mellea, colore rufo, odore suaviter gravi, fervens gustu. hic in usu et radix et decoctum eius plurimis medicamentis, suco tamen efficacissimo, qui resolvitur amaris amygdalis aut ruta contra serpentes bibiturque et ex oleo perunctos tuetur.

Theriace prima – Compositioes

[165] Theriace facit ad omnium serpentium morsus et ictus et adflatus mirifice; eadem prodest et ad contusiones et ad convulsiones interiorum partium laterisque ex qualibet causa et pectoris dolores: vitis albae radice pondo octo, trifolii acuti seminis, quod et ipsum in extremo aculeum habet, vel eiusdem radice p. III, panacis X p. IIII,

terrae mali ℥ p. V, roris marini radices ℥ p. IIII, laseris ℥ p. IIII, zingiberis ℥ p. IIII, rutae silvaticae ℥ p. VI, cumini Thebaici ℥ p. III, myrrhae ℥ p. III, cumini Aethiopici ℥ p. V, castorei ℥ p. III, eryngii radices ℥ p. III, serpulli ℥ p. III, ervi albi seminis moliti ℥ p. XII. Chio vino consperguntur contusa ac trita; fiunt pastilli pondere ℥ unius aut victoriati. dantur ex vino mero vetere vel ex mixto vel ex aqua: quae si non fuerint, per se commanducandus erit pastillus et devorandus.

Testing on yourself first

Compositiones

[40] Sed praecipue **picis flos**, quod **pisselaeon** appellant, cum oleo communi mixtum, ita ut tertia pars sit olei. nam et dolorem sedat et fere non patitur **suppurationem** fieri et, si facta fuerit, eadem res **persanat**. ad summam **ego ipse** diu vexatus ab aure, cum multis frustra usus essem medicamentis, ab hoc sum persanatus et alios complures sanavi. **florem picis** autem appello, quod excipitur, dum ea coquitur, lana superposita eius vaporibus; hoc etiam gravitatem odoris protinus tollit.

Resins and pitches - are they good for you?

(It may take 10 years or more to get a drop – see the University of Queensland experiment at <https://smp.uq.edu.au/pitch-drop-experiment>)

Pliny NH – Book 15

[28] fit et e citro, cupresso, nucibus iuglandibus quod caryinum vocant, malis, cedro quod pisselaeon, e grano quoque Cnidio purgato semine et tunso, item lentisco.

Book 16 of the NH covers trees and all their uses.

Here P describes the process of converting pitch from the torch tree (a species of pine) into a substance used by doctors

[53] Sequens liquor crassior iam picem fundit. haec rursus in cortinas aereas coniecta aceto spissatur ut coagulo et Bruttiae cognomen accepit, doliis dumtaxat vasisque ceteris utilis, lentore ab alia pice differens, item colore rutilante et quod pinguior est reliqua omni. illa fit e piceae resina ferventibus coacta lapidibus in alveis validi roboris aut, si alvei non sint, struis congerie, velut in carbonis usu.

54] haec in vinum additur farinae modo tusa, nigrior colore. eadem resina si cum aqua lenius decoquatur coleturque, rufo colore lentescit ac stillaticia vocatur. seponuntur autem ad id fere vitia resinae cortexque. alia temperies ad crapulam. namque flos crudus resinae cum multa astula tenui brevique avulsus conciditur ad cribrum minuta. dein ferventi aqua, donec coquatur, perfunditur.

[55] Huius expressum pingue praecipua resina fit atque rara nec nisi paucis in locis subalpinae Italiae, conveniens medicis. resinae albae congium in II aquae pluviae cocunt. alii utilius putant sine aqua coquere lento igne toto die, utique vase aeris albi, item terebinthinam in sartagine cinere ferventi, hanc ceteris praeferebant. proxima e lentisco.

In book 24 of the NH, focussed on medicinal properties of trees, Pliny has more to say about *pissaeleon*, including as a cure for sore throat (peritonsillar abscess / quinsy):

[24.17] Cedrus magna, quam cedrelaten vocant, dat picem, quam cedria vocatur, dentium doloribus utilissimam. frangit enim eos et extrahit, dolores sedat. cedri sucus ex ea quomodo fieret diximus. magni ad volumina usus, ni capiti dolorem inferret, defuncta corpora incorrupta aevis servat, viventia corrumpit, mira differentia, cum vitam auferat spirantibus defunctisque pro vita sit.

[18] vestes quoque corrumpit et animalia necat. ob haec non censeam in anginis hoc remedio utendum neque in cruditatibus, quod suasere aliqui, gustatu. dentes quoque conluere ex aceto in dolore timuerim vel gravitati aut vermibus aurium instillare. portentum est, quod tradunt, abortivum fieri in venere ante perfusa virilitate. phthiriasis perunguere eo non dubitaverim, item porrigines. suadent et contra venenum leporis marini bibere in passo. facilius in elephantiasi inlinant.

[19] et ulcera sordida et excrescentia in iis auctores quidam et oculorum albugines caliginesque inunxere eo et contra pulmonis ulcera cyathum eius sorberi iusserunt, item adversus taenias. fit ex eo et oleum, quod pisselaeon vocant, vehementioris ad omnia eadem usus. cedri scobe serpentes fugari certum est, item bacis tritis cum oleo si qui perunguntur.

[20] Cedrides, hoc est fructus cedri, tussim sanant, urinam cient, alvum sistunt, utiles ruptis, convulsis, spasticis, stranguriae, vulvis, contra aconita, lepores marinos, eadem quae supra, collectionibus inflammationibusque.

...

[40] Liquida pix oleumque, quod pisselaeon vocant, quemadmodum fieret diximus. quidam iterum decocunt et vocant palimpissam. liquida anginae perunguntur intus et uva, . . . aurium dolores, claritatem oculorum, oris circumlitiones, susiriosos, vulvas, tussim veterem et crebras exscreationes pectoris, spasmos, tremores, opisthotonos, paralysis, nervorum dolores, praestantissimum ad canum et iumentorum scabiem.

Good and bad practice

Hand washing

Compositiones

[80] Ad strumas bene facit radix cucumeris silvatici cocta ex aqua mulsa et trita atque ita imposita, item hebiscum eodem modo factum. sed melius marini lepores oleo vetere necati faciunt in plumbea pyxide clusi, quam diebus quadraginta diligenter alligatam oportet habere.

postea ex ea pinna oblinendae sunt strumae superque eas pellis lanata non nimium tonsa tegendi gratia imponenda est. praecipere autem oportet, ne quis hoc medicamento manus inquinet aut inquinatas, priusquam bene laverit, ad os referat.

Medical incompetence (or just failing to be up-to-date)

Compositiones

[84] Oportet autem sentienti vulnus extra eo loco spongiam ex aqua recenti imponere vel ex aceto acri ac frequenter mutare, ne concaefacta noceat, et vetare artus constringere, quod plerique medicorum faciunt, ignorantes quia incitatur sanguinis eruptio musculorum compressione, quandoquidem omnis constrictio in utramque partem exigit aequae subiectam materiam; sicut utrem si quis medium laqueo constrinxerit, animadvertet in utramque partem excludere subiectum liquorem, et si superforatus casu fuerit, incitatione ei aculabitur quod in eo erit. eadem ergo ratione, cum sanguis eruptus est, qui constringunt vi magna artus, exprimentes sanguinem venis subiectum, cogunt magis erumpi per vulnus. huius rei argumentum: si quis super laqueum percusserit venam in brachio, quae est animalis, animadvertet aequae incitari sanguinem ex ea parte quam ex inferiore loco, cum percussa est vena. et hoc per se quidem si non viderent medici, merito essent culpandi, quod neglegentes in ancipiti casu hominum essent; cum vero Asclepiades etiam pluribus usus sit argumentis in hac re, neque ei quisquam contradixerit (quis enim adversus veritatem hiscere potest?), tanto magis sunt custodiendi, qui pollicentur salutis custodiam unius cuiusque se facturos, tam inertes autem et neglegentes sunt ut <ne> necessaria quidem ad conservandam vitam humanam, quae per aliorum laborem reperta sunt, studeant scire. merito itaque manifeste quidam iugulantur genere quodam incitata eruptione sanguinis ab eiusmodi hominum imprudentia. et, o bone deus, hi sunt ipsi, qui imputant suam culpam in medicamentis quasi nihil proficientibus. sed ad propositum revertamur.

Wednesday

Coughs

Compositiones

[93] Pastillus ex odoribus bene facit ad omnem dolorem, proprie autem ad tussim, item pectoris destillationem et oculorum epiphoras, facit et ad suspirium et ad lateris dolorem et ad phthisicos et vesica renibusque laborantis vel sanguinem ab urina reddentis cum dolore: cassiae, cinnami, croci, singulorum l p. III, alterci seminis, Apollinaris herbae radice, singulorum ℥ p. IIII, piperis ℥ p. II, opii ℥ p. IIII, thuris ℥ p. III, nardi spicae ℥ p. II. vino Falerno contusa et trita utraque, ut debent, consparguntur, fiunt pastilli victoriati pondere et alii parte tertia detracta. dantur in noctem, prout vires sunt, cum aquae calidae cyathis duobus aut tribus.

[94] Medicamentum, quod per coclearium devoratur, bene facit ad tussim aridam et eos, qui difficulter glutinosa excreant et praefocari videntur interdum, sed praecipue eis, qui lateris dolorem cum febre sentiunt, quos Graeci pleuriticos vocant: liberat enim omni periculo eos. hoc medicamentum Apulei Celsi fuit, praeceptoris Valentis et nostri, et numquam ulli se vivo compositionem eius dedit, quod magnam opinionem ex ea traxerat. est autem haec, quae componitur tribus rebus his: mellis Attici despumati libra, piperis nigri electi et ponderosi granis duobus, myrrhae troglodytidos ℥ p. I. piper contunditur diligenter et cribratur, myrrha teritur mortario curiose et postea utraque in unum miscentur, deinde mellis adicitur quantum sufficiat. dantur coclearia quina vel sena, pleuriticis etiam plura saepius, sed cum intervallo dare oportet et maxime cum tussiunt et praefocari videntur et difficulter spirant sive noctu sive interdiu: protinus enim excreant ea, quae obstant transitui spiritus, et tussire desinunt.

Gladiators

Compositiones

[101] Facit et hoc medicamentum ad eos quorum muscoli maxillares cum maximo dolore tensi sunt adeo, ut aperire os nullo modo possint: tetanon hoc vitium Graeci dicunt; item facit ad depravatam faciem in utramlibet partem: cynicon spasmon hoc idem appellant genus morbi; praecipue vero ad pectoris et lateris dolores prodest ex qualibet causa factos sive latenti et occulta sive manifesta, ut ex ictu, casu, conatu aliquo supra vires vel ponderis supra modum portatione vel contusione, quae

frequenter gladiatoribus accidere solet in lusionibus et eorum maxime sauciatis, nec minus arbore alta delapsis vel scalis devolutis, excussis a rheda vel curriculo atque ita tractis. sed his, id est ex manifesta causa vexatis, cum aceti cyathis tribus quattuorve danda erit antidotos; eis vero, qui ex occulta causa laborant, ex aqua mulsa proderit. praeterea nervorum tensionibus mirifice convenit. quamobrem facit et ad tremulos et ad sideratione temptatos utralibet: una enim ex contractione, altera cum remissione nervorum conspicitur; paralysem hoc utrumque vitium Graeci appellant. ad quod etiam, cum correpti sunt, prodest ex aquae mulsae cyathis tribus quattuorve datum medicamentum pondere ꝯ I vel unius et victoriati, admixto pondere victoriati castorei. prodest et ad articulare morbum, quem arthritim vocant, et ad spinae totius lumborumque dolorem ex aqua mulsa datum ad vires cuiusque. item ad podagram bene facit; nam et in praesentia detractio ipsa levat et in futurum omni molestia liberat. dimidio enim celerius sanantur, qui acceperunt medicamentum, quam prius solebant.

A remedy from Africa

Compositiones

[122] Ad coli dolorem faciunt quidem mirifice, quae superius posita sunt, sed cetera medicamenta in aliis vitiis dolorem levant in praesentia, hoc vero, quod dicturus sum, supra hominis spem condicionemque est. ideo primo tempore ne fidem quidem habet, postea a nullo satis digne laudari potest. nam et in praesentia dolorem tollit et in futurum remediatur, ne umquam repetat. raro enim quis iterum vel ad summum tertio hoc accepto medicamento vexatus est. quamobrem si quando repetierit iterum dolor, dandae erunt per triduum et tunc potiones eodem modo, quo primae datae fuerint. interdum et tertio in dolore eodem genere potiones dabuntur, quod raro quidem accidit; posthac utique in futurum quoque remediatur, ita ut ne suspicio quidem ulla relinquatur vitii. si quando tamen frigus aut multitudo cibi praecesserint, gravitatem quandam et torporem eius loci sine ullo dolore sentiunt, plane ut intellegant quasi quanto malo caruerint. hoc medicamento muliercula quaedam ex Africa Romae multos remediavit. postea nos per magnam curam compositionem accepimus, id est pretio dato, quod desideraverat, aliquot non ignotos sanavimus, quorum nomina supervacuum est referre. constat autem medicamentum ex his rebus: cervi cornua sumuntur, dum tenera sunt, quasi in taleas brevis divisa olla fictili componuntur operculoque superposito et argilla undique circumdata fornace uruntur, donec in cinerem candidissimum redigantur, atque ita in vaso vitreo mundo reponuntur. cum dolorem habuit aliquis, pridie abstinetur quam poturus est medicamentum ab omni re, atque ita postero die sumuntur ex cornibus coclearia tria cumulata satis ampla, quibus miscentur piperis albi grana novem trita et myrrhae exiguum, quod odorem tantummodo praestare possit. haec cum in unum commixta sunt mortario diligenter, coclea vera Africana, id est inde adlata, sumitur quam potest maculosissima et viva mortario cum sua testa contunditur atque ut est teritur, donec nullum vestigium

appareat testularum. postea vini Falerni non saccati cyathus adicitur et nihilo minus rursus teritur: magis enim tunc apparent residendo aspritudines, si quae reliquae sunt; quibus levatis iterum adiciuntur cyathi duo eiusdem vini atque ita prioribus bene admiscentur, transfunditurque cum his, quae sunt in mortario, calice novo et supra carbones imponitur, movente aliquo cocleario liquorem, ne quid subsidat et peruratur. at ubi bene incaluerit, iniciuntur in eundem calicem quae supra dixi coclearia tria et permovetur. cum autem calore temperata est potio, datur obducenda; statim dolorem levat. hoc facere oportebit per insequens biduum capientem cibi in prandio aut de tempore exiguum, quod facile conficiatur, ne crudus sumat medicamentum. postea in consuetudinem victus sui, qui colo infestabatur, dimittatur. oportet tamen non indifferenter remediatis in futurum vivere: tametsi enim a coli dolore tuti sunt, metuere nihilo minus debent, ne alia parte corporis aequae adficiantur ob intemperantiam <quam> colo, antequam remediati erant.

Thursday

Crediting another medical practitioner, Tryphon

Compositiones

[175] Sed multo magis emplastri huius vis facit, quod Augusta propter eiusmodi casus habuit compositum et multis profuit. accepimus a Tryphone praeceptore nostro: iris Illyricae ℥ p. V, castorei Pontici ℥ p. V, caprificus lactis aridi ℥ p. V, canis nigrae adipis ℥ p. VIII, eiusdem sanguinis ℥ p. X, resinae terebinthinae ℥ p. VIII, leporis coaguli ℥ p. III, salis ammoniaci ℥ p. II, laseris Cyrenaici ℥ p. II aut Syriaci ℥ p. III, cerae Ponticae ℥ p. XXXVI, olei veteris cyathos duos, aceti scillitis cyathos tres. arida ex aceto teruntur; quae liquefieri possunt, oleo ad ignem liquefacta miscentur mortario tritis et temperatis in mellis spissitudinem. vitreo reponitur.

Simplex vs multi-ingredient

Compositiones

[178] Quoniam antidotos, quas optimas scivimus, posui in facientibus ad omne malum [vitium aliud] medicamentum, etiam ex multis rebus, simplicia quoque medicamenta et propria remedia monstrabimus. interdum enim haec melius adversus quaedam quam antidotos faciunt. trademus autem singulorum malorum medicamentorum epotorum signa, quo facilius intellegatur, quid quisque sumpserit et qua ratione adiuvari debeat.

Hemlock

Compositiones

[179] Cicutam ergo potam caligo mentisque alienatio et artuum gelatio insequitur ultimoque praefocantur, qui sumpserunt eam, nihilque sentiunt. adiuvari autem debent in initiis vino mero subinde quam plurimo caldo et per se et cum pipere et cum styrace potu. ac maxime prodest lac asininum datum: si minus, vaccinum aut quodlibet. oportet autem et alvum acri clystere ducere eorum et extra super ventrem imponere farinam hordeaciam vel triticeam coctam ex vino caldam.

Largus' views on doctors and pharmacists

Compositiones

[199] Irudinem, quam quidam sanguisugam vocant, devoratum et adhaerentem faucibus eoque ipso molestiam titillationemque quandam praestantem excutere oportebit aceto quam plurimo potu per se vel cum sale aut nitro aut lasere. idem

faciunt et nivis glebulae quam plurimae devoratae. Medicamentorum malorum non nocet nominum aut figurarum notitia, sed ponderis scientia. hanc porro medicus nec quaerere nec nosse debet, nisi diis hominibusque merito vult invisus esse et contra ius fasque professionis egredi. illas autem, figuras dico et nomina, necesse est ei scire, ut possit: hoc enim proprium est medicinae, et illud execratissimi pharmacopolae <e> contrario oppositi virtuti eius, ut et in ceteris artibus animadvertitur: nulla enim est, quae non habeat adversantem sibi sub specie similitudinis professionem.

The *Compositiones* on method: Diet, drugs, surgery

Compositiones

[200] Quotiens autem suspicio mali medicamenti accepta fuerit, primo adsumere oportet, quae nauseam faciunt, ut oleum per se vel cum aqua, et reicere; deinde ea, quae ventrem molliunt, tamquam lac, album ius pingue et salsum, chameleam, non cessantem inicere clysterem; postea remedia propria ad singula quaeque et antidotos sumere. Implicitas medicinae partes inter se et ita conexas esse [constat], ut nullo modo diduci sine totius professionis detrimento possint, ex eo intelligitur, quod neque chirurgia sine diaetetica neque haec sine chirurgia, utraque sine pharmacia, id est sine ea parte, quae medicamentorum utilium usum habet, perfici possunt, sed aliae ab aliis adiuvantur et quasi consummantur. itaque quamvis ex magna parte ad diaeteticos pertinentes compositiones iam exhibuerimus, tamen quasi claudicat et vacillat hic liber, nisi eas quoque compositiones, quae ad chirurgos pertinent, posuerimus, quarum initium ab emplastris faciemus

Friday

Pain relief and name dropping

Compositiones

[271] Acopum, quo fere Augusta et Antonia usae sunt, facit ad perfrictionem et nervorum dolorem. idem perunctum non patitur perfrigescere artus et refrigeratos calfacit. componitur hieme hoc modo: sumere oportet adipis porcinae sterilis pondus III vel anseris adipis idem pondus, deinde aqua frigida bene lavare atque in novo vase adicere vini veteris odorati congium unum aut sextarios tres et res non nimis contusas ponderis huius: xylocinnami pondus quadrantem, cardamomi pondus quadrantem, cyperi pondus quadrantem, schoeni pondus quadrantem, rosae aridae foliorum pondus unciam, sertulae Campanae coronas decem. haec omnia infervescunt super carbones, deinde perfrigerata eodem caccabo reponuntur posteroque die iterum infervescunt reconduunturque eodem modo, tertio die rursus recalefiunt et colantur per linteum vel ex iunco facto de industria colo. vinum atque adipis quod superest in altero novo vase conicitur; deinde cum gelaverit se adeps, oportebit fundum caccabi perforare et vinum omne emittere atque in priorem caccabum adipem eandem conicere et vini eiusdem recentis eandem mensuram adicere resque non nimis contusas nec percibratas: nardi Syriaci spicae pondus sextantem, saliucae pondus sextantem, amomi pondus quadrantem, cassiae pondus quadrantem, myrrhae pondus trientem, cinnami pondus trientem, rosae aridae foliorum pondus sextantem. deinde semel mane et in nocte semel infervescere oportet, idem in postero die; cum infervescuta fuerint, percolanda erunt in caccabum priorem pertusum, sed ante diligenter et spisse obturatum, atque ubi congelaverit se adeps, extrahendum erit spissamentum ut vinum omne effluere possit. quod cum defluerit, quod superest adipis vase stagneo uno vel pluribus diligenter operto et adplumbato reponitur.

A universal antidote

Both Pliny and Largus treat a remarkable universal antidote prescription, the *mithridation*, which came into existence around 100BC because of Mithridates VI of Pontus (132–63BC)' fear of being poisoned (by his mother). In the first passage below Pliny explains its origin, and in the second Largus lays out the prescription. The *mithridation* was said to have 65–70 ingredients though here we are spared the full list because the text at the start of *Compositiones* section 170 is corrupt.

Some form of the *mithridation* continued to be prescribed into the modern era.

Pliny *NH* 25.5–7

[5] Antea condiderat solus apud nos, quod equidem inveniam, Pompeius Lenaei Magni libertus, quo primum tempore hanc scientiam ad nostros pervenisse animo adverto. namque Mithridates, maximus sua aetate regum, quem debellavit Pompeius, omnium ante se genitorum diligentissimus vita fuisse argumentis, praeterquam fama, intellegitur.

[6] uni ei excogitatum cotidie venenum bibere praesumptis remediis, ut consuetudine ipsa innoxium fieret; primo inventa genera antidoti, ex quibus unum etiam nomen eius retinet; illius inventum, sanguinem anatum Ponticarum miscere antidotis, quoniam veneno viverent; ad illum Asclepiadis medendi arte clari volumina composita extant, cum sollicitatus ex urbe Roma praecepta pro se mitteret; illum solum mortalium certum est XXII linguis locutum, nec e subiectis gentibus ullum hominem per interpretem appellatum ab eo annis LVI, quibus regnavit.

[7] is ergo in reliqua ingeni magnitudine medicinae peculiariter curiosus et ab omnibus subiectis, qui fuere magna pars terrarum, singula exquirens scrinium commentationum harum et exemplaria effectusque in arcanis suis reliquit, Pompeius autem omni praeda regia potitus transferre ea sermone nostro libertum suum Lenaeum grammaticae artis iussit vitaeque ita profuit non minus quam reipublicae victoria illa.

The recipe for *mithridation*

Compositiones

[170] * * * acori ℥ p. II, phu ℥ p. I, sagapeni ℥ p. II, iris Illyricae ℥ p. II, balsami seminis ℥ p. II, rutae silvaticae ℥ p. II, gentianae ℥ p. II, anesi ℥ p. III, thlaspis ℥ p. VI et victoriati, rosae aridae ℥ p. IIII, misy ℥ p. IIII, acaciae ℥ p. III, commis ℥ p. II, cardamomi ℥ p. II, schoeni floris ℥ p. VI et victoriati, opopanacis ℥ p. VI, opobalsami ℥ p. VI et victoriati, galbani ℥ p. VI et victoriati, resinae terebinthinae ℥ p. VI et victoriati, rubricae Lemniae ℥ p. VII. melle Attico et vino Chio conspargito, donec habeat spissitudinem mellis. reponitur vitreo vase. danda autem est his, qui malum medicamentum sumpserunt, fabae Aegyptiae magnitudine ex vini meri, si poterit, cyathis sex: sin minus, mixti meracius cyathis quattuor. eodem modo et a serpente laesis danda erit: ex mulso autem, quorum iecur durum est aut arquati sunt et quibus alioquin urinam movere studemus. sed fabae nostratis magnitudine tussientibus, oculis laborantibus, latus dolentibus; ceterum magnitudine ciceris coeliacis; <febricitantibus> (prodest enim et his) viciae magnitudine ante accessionem februm; tetanicis, opisthotonicis, spasmo correptis (adiuvat enim et hos) lupini magnitudine, sed cum aquae cyathis tribus.

Largus' *Compositiones* – the concluding words

[271] Harum compositionum, si qua fides est, ipse composui plurimas et ad ea, quae scripta sunt, facientis scio; paucas, sed valde paucas ab amicis (et ipsis aequae ac mihi credo) acceptas adieci, quas cum iureiurando adfirmaverunt se ipsos expertos esse et bene facientis scire ad vitia quae scripta sunt. illud autem te meminisse oportet, mi Calliste, quod initio dixi, eadem medicamenta in iisdem vitiis interim melius deteriusve respondere propter corporum varietatem differentiamque aetatum temporumve aut locorum. eadem enim res in dissimiliter dispositis corporibus non possunt eosdem effectus exhibere; sed adfirmo ex magna parte prosperos eventus, si quando opus fuerit, has compositiones habituras.